

iste, oportet aliquo speciali nomine appellari. Et sic vocatur in Scriptura sacrificium, victima aut holocaustum; ergo dicendum est, quod sacrificium dictum specialiter importat actionem immutativam alicujus substantiæ, ac rei permanentis in honorem Dei.

XXIX. Nec objici potest Melchisedech obtulisse Deo sacrificium, nec tamen aliquid in illo immutasse, quia solum legitur Genes. xiv: *Quod Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum; erat enim sacerdos Dei altissimi.* Respondetur enim, quod licet Scriptura non referat quomodo immutaverit res illas Melchisedech, dubitandum tamen non est, aliquid circa illas fecisse, sive libationem vini, sive fractionem, aut distributionem panis. Neque enim protulit illas species, ut iterum secum ferret, sed ut Deo consecraret et dicaret. Dicitur enim ea protulisse, quia erat sacerdos; quæ causalis non simplicem prolationem significat, sed sacrificativam.

XXX. An vero requirantur plures actiones ad istam immutationem faciendam, aliqui requirunt unam actionem præparativam rei offerendæ, aliam oblativam, seu consecrativam illius, in qua perficiatur sacrificium; sed tamen quidquid sit, an aliquando plures actiones interveniant in sacrificio, tamen illa per quam fit immutatio ad divinum cultum offerendo rem aliquam, sufficit constituere sacrificium, verbi gratia, mactatio arietis, fractio panis, libatio liquoris, et quidquid amplius fit, non pertinet ad sacrificium essentialiter, sed dispositive et antecedenter.

XXXI. Tandem ex dictis elici potest definitio sacrificii et divisio. Definitio sacrificii proprie et generice sumpti est: « Oblatio externa soli Deo facta per legitimum ministrum, in qua res aliqua permanens im-

mutatur in honorem Dei, et protestationem supremæ ejus majestatis, et nostræ servitutis. Ponitur oblatio externa loco generis, quia communis est omnibus oblationibus. Dicitur sola Deo facta, ut designetur actio religiosa specialiter pertinens ad cultum Dei. Per legitimum ministrum, ad designandum quod sacrificium est actus publicus correlative se habens ad sacerdotium, quod est ministerium publicum. A privatis enim hominibus etiam multa offerri possunt, quæ non sunt sacrificia, ut argentum, vinum, oleum, candelæ, etc. Quod dicitur esse oblationem rei permanentis, ponitur ad differentiam rei transeuntis oblata Deo, ut genuflexionis, adorationis, precum, laudis vocalis, etc. Dicitur fieri cum mutatione rei, quæ offertur, ad differentiam oblationis, quæ aliquid permaneat et conservetur; sicut qui offert Ecclesiæ bona mobilia aut immobilia, ut in ea conserventur: sacrificium autem offert rem, non ut permaneat, sed ut destruat vel immutetur pro honore Dei, licet non semper requiratur totaliter rem destrui; sed sufficit aliquo modo eam immutari, ut liquorem effundi, vel libari. Denique dicitur, quod fiat in honorem Dei tamquam protestatio divinæ majestatis et nostræ servitutis, ad designandum intentionem sacrificantis, et proprium finem religiosi cultus specialiter divinam majestatem manifestantis. Ex hac autem parte, qua sacrificium protestativum est divinæ majestatis, potest etiam sacrificium induere aliquam mysticam significationem respectu alicujus mysterii supernaturalis, si Deus vellet sic fieri talem protestationem: sed hoc non est de necessitate sacrificii, sed ex abundantia, ut supra dictum est.

XXXII. Divisio sacrificii multiplex

est; potest tamen reduci ad quinque capita. Nam primo potest dividi sacrificium ex parte materiæ: secundo, ex parte actionis seu formæ: tertio, ex parte modi: quarto, ex parte effectus: quinto ex parte status. Ex parte materiæ dividuntur sacrificia in libamina, quibus res liquidæ offerebantur; in victimas et hostias, quibus pecora immolabantur, et alia similia. Ex parte formæ seu actionis dividitur in holocaustum, quando totum animal cremabatur et consumebatur in honorem Dei; in hostias pacificas, vel pro peccato, in quibus aliquid consumebatur, aliquid vero servabatur sacerdotibus. Ex parte modi distinguitur sacrificium in cruentum et incruentum; illud fiebat per effusionem sanguinis, sicut quando pecora occidebantur, et sicut Christus fuit immolatus in cruce; istud fiebat sine cruore, ut quando fructus terræ offerebantur et modo species eucharistiæ. Ex parte effectus distinguitur sacrificium propitiatorium, quod est pro remissione peccati, aut pœna illius; eucharisticum, quod est bona gratia, seu in actionem gratiarum pro beneficiis acceptis; et impetratorium, quod fit pro beneficiis recipiendis; quæ omnes formalitates, seu rationes in nostro sacrificio conveniunt. Ex parte status distinguuntur sacrificia legis naturæ, legis veteris, et legis novæ, quæ secundum varias significationes mysticas distincta sunt; nihil tamen antiqua sacrificia conferebant ex opere operato, sed secundum fidem operantis effectum sortiebantur.

ARTICULUS II.

De sacrificio novæ legis: quid sit, et in quo consistat.

I. Primo inquiritur, an sit de fide dari proprium et verum sacrificium

in lege nova. Negant hæretici hujus temporis, dicentes solum debere dari sacrificium spirituale et improprium, quia: *Veri adoratores in spiritu adorabunt Patrem*, ut dicitur Joan. iv. Cæterum Ecclesia tamquam de fide certum sentit, dari verum et proprium sacrificium in lege nova, sicut et verum sacerdotium, ut definit Concilium Trinentinum sess. xxii, agens de proprio et visibili sacrificio: et in sess. xxiii, agens de sacerdotio, cum tamen hæretici (et specialiter Calvinus) dicant Christum Dominum dedisse nobis mensam, in qua epulemur, non altare super quod victimas offeramus; non sacerdotes consecrasset qui immolent, sed ministros qui sacrum epulum distribuunt: ideoque ipsi suos parochos ministros vocant, non sacerdotes.

II. Nihilominus tamen præter Ecclesiæ definitionem, quæ pro catholicis sufficit, contra hæreticos qui Ecclesiam non suscipiunt, deducitur argumentum ex Scriptura. Nam apertissime Malach. i prænuntiat futurum sacrificium in lege evangelica, cum dicitur: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Qui locus non potest intelligi de sacrificiis Judæis, quia illa non fuerunt in gentibus, nec in omni loco ab ortu solis ad occasum, sed solum in Judæa. Quod si Judæi per totum orbem sunt dispersi, non tamen in illis, sed in gentibus offerendum dicitur hoc sacrificium. Nec etiam intelligi potest de sacrificiis gentium fidelium (aliqui enim gentium habuerunt veram fidem Dei) qui tunc inveniebantur, ut interpretatur Arias Montanus super caput primum Malachiæ: hoc enim omnino stare non potest; tum, quia gentiles isti fideles, qui tunc erant, paucissimi in-

veniebantur; propheta autem loquitur de sacrificio futuro in gentibus in omni loco a solis ortu usque ad occasum; tum etiam, quia non erat tunc in gentibus aliqua oblatio ita munda, quod superaret in puritate et sanctitate sacrificia Judaica, cum apud Judæos esset tunc expressior Dei sedes, notitia et cultus, quam apud alias gentes; quomodo ergo præ illis sacrificiis Judaicis dici potest munda oblatio, et sacrificium illorum gentilium fidelium, qui tunc erant; præsertim cum ibi significetur futuram unam oblationem tantum, cum apud gentiles variis modis sacrificia ista essent diversa.

III. Nec denique valet responsio Calvinii, quod loquitur propheta de sacrificio invisibili et spirituali, quod consistit in bonis operibus, et in fide crucis Christi. Et probat ex Augustino libro II contra litteras Petilianii, capite LXXXVI, ubi hoc sacrificium Malachiae de sacrificio laudis interpretatur; idemque docet Hieronymus super caput primum Malachiae.

IV. Nam contra est, quia si solum loqueretur propheta de sacrificio laudis et aliis sacrificiis improprie dictis, qualia sunt opera bona et fides Christi, non contra poneret illud Judaicis sacrificiis; neque enim illis succedunt, sed omnibus justis communia sunt, tam Judæis quam gentilibus; et in quocumque loco fuit fides veri Dei, fuit etiam hoc genus sacrificiorum, id est, opera bona et fides passionis Christi: at in illo loco expresse loquitur propheta de aliquo singulari sacrificio contraposito sacrificiis Judaicis, illisque successuro, non in ipsis Judæis, sed in gentibus; sic enim dicit propheta: *Ad vos o sacerdotes qui despicitis nomen meum, et offertis super altare meum panem pollutum: non est mihi voluntas in vobis, dicit*

Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra; a solis enim ortu usque ad occasum, etc. ubi manifeste loquitur Dominus de oblatione facta a sacerdotibus super altari; ergo loquitur de sacrificio proprie dicto, quod est correlativum sacerdotii et altaris: spiritualia autem sacrificia et opera bona, neque requirunt altare, neque sacerdotium. Dicit autem propheta, oblationes istas et sacrificia esse rejicienda, successuram autem oblationem mundam, quæ sacrificanda est in gentibus: ergo loquitur de sacrificio proprie dicto, utpote quod succedit sacrificiis Judaicis, quod absolute et sine termino diminuente sacrificari dicitur: quod denique singulariter dicitur oblatio munda, quæ aliquid certum et determinatum designat; sacrificia autem spiritualia tot sunt, quot opera bona.

V. Ad Augustinum autem et Hieronymum, quos pro se citat Calvinus, respondeo Augustinum intellexisse illum locum Malachiae de sacrificio laudis, non excludendo proprium sacrificium. Nam revera sacrificium missæ etiam cum laude offertur, et vocari potest sacrificium laudis, dummodo non excludatur proprium sacrificium. Non exclusisse autem Augustinum constat manifeste ex libro XVII de civitate, cap. XXXV, ubi post verba Malachiae relata, inquit: « Hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cum omni loco a solis ortu usque ad occasum jam videamus offerri, etc. » Et S. Hieronymus illo ipso loco Malachiae, etsi intelligat spirituales victimas, et thymiana orationum successurum victimis carnalibus, addit tamen: « Offerri in omni loco oblationem mundam ut in cæremoniis Christianorum; » quod utique est sacrificium proprium. Non ergo illud excludunt patres, quando

de sacrificio orationum intelligunt.

VI. Deinde constat ex prophetia Danielis capite XII, tempore antichristi offerendum esse juge sacrificium, ut patet in illis verbis: *Et a tempore, cum ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta*, quod tempus communiter intelligitur de regno antichristi quod durabit tribus annis cum dimidio. Unde non loquitur ibi propheta de regno Antiochi, sicut capite præcedenti, quia hoc regnum non durabit solo illo tempore, sed loquitur expresse de antichristo; sacrificium autem quod ablaturus est antichristus, non est sacrificium veteris legis, quia hoc jam a multis annis desiit; ergo ablaturus est sacrificium Ecclesiæ modo existentis, contra quam persecutionem moturus est; ergo supponitur jam in Ecclesia esse sacrificium quod aufendum est, quia tunc publicus ejus usus cessabit.

VII. Denique in Ecclesia Christi datur altare; ergo et sacrificium. Patet consequentia, quia sacrificia spiritualia, et bona opera non indigent altari, ut fiant, sed solum sacrificium proprie dictum. Antecedens negatur a Calvino, sed docetur ab Apostolo ad Hebr. XIII: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, quo tabernaculo deserviunt*; ergo verum et proprium sacrificium in lege nova reperitur, sicut perpetua traditione et observantia Ecclesiæ stabilitum est.

VIII. Et ratio apertissima id suadet, nam Christus Ecclesiam suam instituens, et novam legem condens, non debuit eam destituere eo genere cultus, quo maxime Deus colitur, ejusque supremam potestatem protestamur, et quod omni hominum generi et nationi notissimum fuit, ut Deum sensibilibus signis recognosceremus; cum proprium sit

naturæ hominum sensibilibus signis Deum colere, et ex visibilibus ad divina consurgere. Similiter transtulit Deus sacerdotium Aaron antiquum in sacerdotium novum secundum ordinem Melchisedech, dicente Apostolo ad Hebræos VII: *Si consummatio erat per sacerdotium leviticum, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotium, et non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat*; ergo in lege nova, ad quam transferebatur lex antiqua, datur sacerdotium secundum ordinem Melchisedech (nempe in oblatione panis et vini) sed hoc sacerdotium, et hæc oblatio secundum ordinem Melchisedech non fuit a Christo executioni mandata, nisi in cæna, quando obtulit Patri, et consecravit panem et vinum. Et non fuit ibi finita et extincta talis oblatio, si quidem ipse præcepit Apostolus et successoribus suis sic facere, sicut ipse fecit; ergo si illam oblationem fecit Christus per sacerdotium suum, utique fecit verum sacrificium; ergo etiam in Ecclesia est sacrificium et sacerdotium, quia illud quod tunc factum est, deinde fieri Christus præcepit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

IX. Fundamentum hæreticorum nullius est momenti. Dicunt enim sacrificium non esse necessarium in lege nova, quia id probat Apostolus ad Hebræos X, ex eo ostendens insufficientiam legis antiquæ, quia omnis sacerdos tunc quotidie ministrabat, easdem offerens hostias; Christus autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei; una enim oblatione consummavit in æternum sanctificatos; ergo sacrificium non

servit amplius ad sanctificandum, neque ad propitiandum Deum, et sic non est sacrificium propitiatorium, sed ad summum sacrificium improprium, quod est sacrificium laudis vel gratiarum actionis. Imo injuriam facit oblationi crucis, qui aliam vult superinducere, si quidem unica illa oblatio consummavit sanctificatos.

X. Si dicatur sacrificium nostrum non esse ad consummandum redemptionem, sed ad applicandum fructum illius nobis, contra hoc urgetur ratio Apostoli, quia ideo probat fuisse imperfecta sacrificia antiqua, quia sæpius indigebant iterari; ergo si nostrum sacrificium tale est, quod sæpe iterari oportet, imperfectum est sicut illa; ergo incongruum et indecens pro lege gratiæ, quæ omnia ad perfectum adduxit. Et eodem modo fit injuria dignitati sacerdotii Christi, quia si alios sacerdotes ponimus, illud sacerdotium Christi non erit unicum, neque perfectum, sed indigens aliis, quod inconveniens est.

XI. Denique ipse Christus Dominus Samaritanæ interroganti, an deberet Deus coli et adorari in templo, vel in monte illo, respondit Joan. iv: *Mulier, crede mihi, quia venit hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem*: et subdit rationem, quia: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Spiritus est Deus et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*, ubi adoratio secundum communem intelligentiam sumitur pro cultu externo, qui præcipue exhibetur in sacrificiis: ergo pro lege nova solum constituit Dominus sacrificia spiritualia et invisibilia, non externa et visibilia.

XII. Respondetur probare illud argumentum Apostoli, non esse necessarium iterari sacrificium et oblationem crucis; hæc enim unica

consummavit omnem redemptionem nostram, non tamen probat, neque intendit Apostolus, non esse necessarium iterari et continuari sacrificium applicativum virtutis sacrificii crucis. Quare hoc sacrificium non ponit in numero cum illo ex parte rei oblatae, et ita non iterat illud, sed continuat et applicat nobis, quia offerendo illud mortem Domini annuntiamus donec veniat, ut dicit idem Apostolus I ad Corinth. xi: ergo nomine unius oblationis, qua Christus consummavit sanctificatos, intelligenda venit non solum oblatio crucis, sed etiam sacrificium corporis ejus, quia utraque una oblatio est; illa, ut consummativa redemptionis; hæc, ut applicativa ad fideles: et sic non recedimus ab unica oblatione, nec illam multiplicamus ex parte rei oblatae et valoris ejus, cum eucharistiam dicimus esse sacrificium, quia idem quod oblatum est in cruce, idemque valor et fructus continuatur in hac mystica repræsentatione ejus.

XIII. Ad replicam respondetur Apostolum recte concludere imperfectionem veterum sacrificiorum, comparatione ad sacrificium crucis, quia antiqua sacrificia indigebant iterari ob defectum valoris, quia de se nullum habebant, sed operabantur in fide offerentium, quam oportebat iterari, si sacrificia iterabantur; sacrificium autem crucis habuit summum valorem, et ideo non indiget iterari ob defectum valoris, bene tamen ejus applicatio iterari debet propter indigentiam suscipientium et multitudinem illorum. Quando ergo valor sacrificii indiget iterari, optime inde infertur infirmitas sacrificiorum et imperfectio; quando autem iteratur non propter indigentiam valoris, sed propter applicationem ad suscipientes, talis iteratio non infert imperfectionem

sacrificii, sed dependentiam nostram ab illo. Virtus autem et valor sacrificii crucis et nostri, non indiget iterari, sed est unus et idem semper; applicatio autem ejus indiget iterari: sacrificia vero antiqua non erant applicativa valoris Christi, quia non operabantur ex opere operato; iterabantur ergo ex defectu valoris, et secundum fidem offerentium solum operabantur, et ideo ex illorum iteratione recte probavit Apostolus eorum imperfectionem.

XIV. Ad ultimum respondetur affirmasse Christum, quod neque in illo monte, neque in Hierosolymis adoraretur Deus illa adoratione et sacrificiis carnalibus Judaicis; non tamen negavit futuram aliam adorationem et sacrificium, quod omnino spirituale esset quoad suam virtutem, et modum existendi rei oblatae, quæ invisibili et sacramentali modo continetur hic, licet sit visibile ex parte specierum, quibus continentur, et cæremoniarum quibus celebratur. Unde qui hoc sacrificio Deum colit, in spiritu et veritate adoratur; nec fit injuria sacerdotio Christi ponendo plures sacerdotes in Ecclesia, quia isti sunt sacerdotes et ministri, Christus ut principalis; et in hoc non habet secundum.

XV. Secundo inquires, an sacrificium evangelicum sit ipsum sacramentum eucharistiæ, et ita unicum, quod non sit potestas in Ecclesia vel republica aliud sacrificium instituendi, respondetur affirmative. Est de fide definitum in Concilio Tridentino sess. xxii, cap. i, et canone i et ii: quia vero hæretici hujus temporis (præsertim Calvinus et Petrus martyr) vehementius in hanc veritatem invehuntur, nec in missa agnoscunt nisi tantum quoddam improprium sacrificium, id est, sacrificium laudis, aut nudam quamdam memoriam crucis, non vero

proprium sacrificium, quod propitiatorium sit; ideo Concilium canone primo definivit missæ sacrificium non esse solum sacrificium laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii crucis, sed etiam propitiatorium; et hæc probatio pro catholicis sufficit.

XVI. Pro hæreticis vero ex duplici fonte derivatur evidens probatio hujus veritatis, scilicet ex Scriptura, et ex communi Ecclesiæ veterumque patrum traditione, sine qua nuda Scripturæ verba calumniis patere solent hæreticorum. Ne tamen cum hæreticis extra lineam difficultatis disputationem tendamus, adverte aliquos ex illis fateri quidem hanc esse patrum traditionem et Ecclesiæ sententiam, sed nihilominus contemnunt, ut Lutherus in libro contra regem Angliæ, et in tractatu de missa privata; vel etiam alii dicunt apertissimo mendacio missas, et ritum sacrificandi a temporibus S. Gregorii papæ incepisse. Cum his non disputamus, quia primi contemptores contemnendi sunt, et ut negantes principia relinquendi: secundi vero manifeste convincuntur ex liturgiis, seu missis Jacobi Apostoli, Basilio et Chrysostomi, et ex auctoritate Clementis papæ libro ii constitutionum, cap. lxi; Cypriani, Augustini, Hieronymi, et aliorum, qui longe ante tempora Gregorii fuerunt, et missas atque sacrificia cognoverunt.

XVII. Alii hæretici moderatius, sed non minus falso dicunt Scripturam et patres loqui de sacrificio improprie dicto, quale est sacrificium laudis, vel gratiarum actionis, aut nuda commemoratio sacrificii crucis. Contra hos disputamus, et ostendimus eucharistiam esse verum et proprium sacrificium. Nam Christus Dominus habet sacerdotium rigore et proprie dictum; tsecundum ordinem Melchisedech: